

CAPVT II.

De Piscibus non omnino laevibus.

ARTICVLVS UNICVS.

De Guacucuja, Guamajacu guara, et Guamajacu Attinga.

Marcgrav. Hst. Brasil. 4. c. I.
 TAB. XXXIX. 2.
GVACUCVIA, *Monoceros piscis: Vespertilio Aquaticus* possit appellari. Corporis figura anterius est instar vomeris: *Corpus* octo digitos longum, quinque latum in medio, ubi latissimum: medietas autem corporis posterior rotunda est, et versus caudae pinnam fastigiatur in conum: medietas autem anterior vomeris seu lati cordis figuram obtinet. *Piscis* autem non crassus, sed latus; caput vix prominet seorsim a corpore, est que illi inter oculos supra os cornu impositum, durum, duos paene digitos longum, conicum. *Oculos* habet nummi misnici magnitudine, pupilla crystallina lenticulari, reliqua pars variegata maculis, et lineis flavis albisque. *Oris* hiatus cattaneam potest capere, ipsum edentulum est. Supra os carnea prominentia est instar tonsillae humanae fere. In utroque latere in medio *piscis*, brachium eminet, quatuor digitos longum, una junctura constans, inferior medietas brachii duos digitos longa est, unum lata, in infimo ventre inter brachia duas habet pinnas sesquidigitum longas, quae quasi pedes sunt. *Cauda* constat pinna duos digitos longa, sesquidigitum lata, ac fere quadrata. In inferiore corpore, sesquidigitum interstitio a cauda etiam pinnulam habet parvam, et talem etiam in dorso, trium digitorum intervallo a cauda. *Cute* tegitur, non squammis, quae superius fusca est, multis tuberculis duris, per dorsum insignita versus anticam partem, et utrumque latus. In utroque autem latere undecim nigras habet maculas lentis magnitudine et figura, binas ac binas juxta se positas. Prope insertionem utriusque brachii etiam multas ejusmodi maculas nigras habet, et ibidem in quolibet latere foramen parvum in corpus.

In summa, in lateribus, circa oculos, in extremis branchiis, mi-

re variegatur punctulis albis, nigris, lineisque itidem albis et nigris, ut vix exprimi possit a pictore. In toto autem inferiori corpore egregii miniatu est coloris, atque ibi cutis aequalis, verum ad tactum paulum hispida.

Guamajacu Guara, Lusitanis Peixe porco et Diabe: Orbis est species. Longitudo ejus ab initio oris ad pinnae exortum in cauda quatuordecim digitorum: pinnae caudae longitudo plus duorum digitorum: Rotundo est corpore, et crassities ejus duorum et viginti digitorum. Caret squammis, tegitur cute, per totum corpus ex fusco ochrae coloris pallidi, in ventre albi. Totum corpus aculeis munitum est, qui in lateribus longiores, in reliquis partibus breviores (longiores autem sunt duorum digitorum) teretes, in extremitate valde acuti, et singuli tribus insertionibus, quasi triquetris cuti infixi. Inter aculeos cutis ubique maculis nigris scatet, excepto ventre. Oculos habet magnos eminentes: Os parvum obrotundum, edentulum: pinnas tantum quatuor, duas in lateribus duos et femis digitos longas: unam in dorso versus caudam ejusdem magnitudinis, et minorem sub anno.

Potest orbis muricatus Gesneri dici.

Habui, inquit author, alium minorem vivum Mense Febr. anni 1639: item alios duos mense Septembri vivos. Cutis eorum erat e fusco virens, in ventre nigricans: aculei ut prioris, et plane similis figura corporis: prope quamlibet pinnam, maculam habebant nigram, ut et utrumque ad latera prope os. Pinnarum color erat flavus: oculorum pupilla nigricans, circulo luteo. Supra utrumque oculorum cornu exile, satis longum, molle, cutacea substantia constans,

TAB. XXXIII. 9.
Idem l. 4.
 c. 10.